R. P.

FRANCISCI BOLVITI

NEAPOLITANI

CLERICI REGVLARIS

In Funere


A. R. P. D. HONORATI BROGNONICI
VERONENSIS ABBATIS OLIVETANI.

ORATIO

Habita Veronæ in Templo Oliuetano S. Mariæ de Organo
IV. *Non. Septemb.* CIↃ IↃ XVII.

Et Aliorum
In eiusdem obitum Pöemata Varia.





VERONAE,

TYPIS BARTHOLOMÆI MERLI.
M DC XVII.

III. KAL. SEPT. CIↃ IↃ XVII.

AD. COELVM.

ABIT. NON. OBIT.

VBI. SEDES.

IMMO. REGNVM. IMMO. DEVS.

VILLAENOVI. PRAEFECTVS. ABBAS.

IN. LAVDEM. NATVS. IN. STVPOREM. DATVS.

QVI.

HOMINIBVS. NIHIL. CEDAT.

SED. EXCEDAT.

POL.

OMNIBVS. NON. VISVS. OMNIBVS. AVDITVS.

TEGITVR. MARMORE. NON. EXTINGVITVR.

PROBE. SCITE.

FRANCISCE. BOLVITE. VETVS. NOVITIVM.

NVPERO. TVO. HOC. ADVENTV.

TANQVAM. SVBITARIVS. MILES.

PRAECONIA.

IN.VIRVM. IN.PRAESVLEM. IN.DIVVM.HONORATVM.

VENVSTE. ET. ERVDITE.

PVRVS. PVTVS. IPSVS. LIPSIVS.

ET. AMPLIVS.

FECISTI.

TOT. NOBIS. IN. TE. IVSTI. AMORIS. CAVSSAE.

SVNTO.

QVOT.IN.PVLVEREVM.DENATVM.ADMIRATIONIS.

PERORANDO. EXCIVISTI.

VERONENSES. OBSEQVIOSI.

D. D.

In Orationem Funebrem
R. P. FRANCISCI BOLVITI.
Io. Antonij Lumaghæ Veronensis.

ANAGRAMMA.

Franciscus Boluitus Neapolitanus Clericus Regularis.
Priscus eras Tullius, casu vallatus in Brognonici funere.

DVM te circumstat, docto dum pendet ab ore,
Dum tibi læta hilari fronte corona fauet,
Dum silet, & tacito fouet intus gaudia plausu,
Nec quemquam cui te comparet arte videt,
Hæsit, & eloquij iàm te BOLVITE parentem
Agnoscens, grati plena stuporis, ait,
Vinceret ò vtinam Latiæ facundia linguæ,
Non alio vellet Tullius ore loqui.
TVLLIVS ipse etenim CASV VALLATVS acerbo
IN BROGNONICI FVNERE PRISCVS ERAS.

Eiusdem.

EIVSDEM.

FLebilem Honorato dum te paeana canentem
 Audit olorino docta canore cohors,

Eloquio persuasa tuo Francisce beatum
 Quem tu abijsse doces, non obijsse putat.

Te fortunatum, tua quòd facundia laudi
 Aequalem, rerum fertilitate, canit.

Felicem verùm quamuis fateatur vtrumq;,
 Nescio quid sortis deterioris habes.

Nam sua qui laudet, BOLVITO non eget ille.
 BOLVITO tu alio, qui tua laudet eges.



Eiusdem.

EIVSDEM.

QVisquis es ò Latiæ caperis qui nectare linguæ,
Ausonijsq; inhias lector amice fauis,
Perlege, quidquid aues habet hæc oratio, nectar
Cum latijs præbet pagina docta fauis.
Hæc tibi, quas pleno fundit facundia cornu
Nunquam speratas suppeditabit opes.
Si genus antiquum, tituloſq;, & stemmata spectes,
Laudatum historica si veritate virum.
Nil nisi honoratum, nil non sublime, & auitum,
Nil non excellens, conspicuumq; sapit.
Si qua dispicias oratio texitur arte,
Vtq; suis iaceant verbaq;, resq;, locis,
Suspiciens dices, tua ni BOLVITE fuisset,
Vix foret alterius, quàm Ciceronis opus.

EIVSDEM.

TRistis Honorati stipabat turba feretrum,
Docte tamen, sæuum pectore vulnus alens.
Orasti BOLVITE? dolor procul omnis abiuit,
Munera, quæ fuerant funera, quisq; putat.
Lætitiaq; noua, mutato, in gaudia luctu,
Lætitiam applausu testificante vacat.
Tam subiti causam plausus ne quære, loquela
Hæc poterat doctis sola placere viris.

Eiusdem

EIVSDEM.

Ad Veronam.

NE Verona nouo puta, exteroq́;
Oratore, tui trophæa ciuis,
Abbatis simul, & simul poeta
Ornari; igniuomo tui sepulcro
(Quà pingues aperit Vesæuus agros)
Adnatum Historici, nefas nouumq́;,
Externumq́; diu putare, non est
Laus huius noua, Plinij frequentes
Qua graias, latiasq́; olet lucernas.
Externum nè igitur puta, nouumq́;,
Non est exterus hic, nouusq́;, non est
Laus exotica, non amica solùm,
Non est funereo dolore tantùm,
Non est obsequio parata, munus
Non est gratuitò datum, quid ergo?
Ossium est cinerisq́; Pliniani,
BOLVITO tibi quod subinde misso;
Soluit grata NEAPOLIS tributum.

ORATIO.

ORATIO



Ertius est dies supra vigesimum, ex quo, vt ijs morem gererem, quorum arbitratu viuo, è Bononia studiorum matre, ad Martialem hanc Vrbem vestram, Auditores nobilissimi sum euocatus; Pedem Domo vix paucies extuli, cùm inopinatus hodie, imparatusq; illum in hoc Templum intuli: nec alio certè fine, nisi vt erepto nobis Abbati, hoc est, Scientiarum coriphæo, Sapientiæ pharo, Virtutum simulacro, Veronensium ocello, Oliuetani cęli astro fulgentissimo valeam parentare. O' duram acerbitatem! ò luctuosam męstitiam! Ergone hisce oculis magnificentissima huius Vrbis conspecturis, suo nunc lumine iam exortibus, lachrymarum mox est aperiendus commeatus? Pectus ipsum per aperta viarum spatia camposque patentes dilatandum, grauissimo dolore angustatum, intercludetur? Siccine lingua, fausta isthæc vereque Magna, ad præconium vsque conclamatura, spiritu nunc ob dolorem in ipso faucium meatu coarctato,

eius sit laudes commemoratura, quem dolemus auersum, nunquam audiemus reuersum? An deliciarum hic mihi locus, quando decus omne ciuitatis occidit, humoque iam, & saxo deliciæ nostræ concluduntur? O' luctuosam mæstitiam! ò duram acerbitatem!

Et verò, non casu factum arbitror Auditores, vt ego penè in dicendo infans, ad id simmuneris accitus, quippequi maiorem præ cæteris passus sum iacturam. Mærent, lugent, squalent omnes; Mæreant, lugeant, squaleant: nonne iure? & tamen est quoque solamini locus; quotusquisque enim est, cui non datum sæpius Abbatem adire docentem, audire dicentem: eius frui colloquio, sermone dulcescere: ditari præceptis, dotari consilijs: admirari sapientiam demirari prudentiam? Sed proh sortem meam omni malorum satellitio stipatam, omni lachrymarum genere deplorandā! qui, quo fueram illustrandus sole, lugere cogor occasum. anxius ad sapientiæ gurgitem anhelabā, & exaruit antè quàm inscitiæ meæ sitis extincta. parabar ad præcepta, & à morte me video delusum. non eius hausi doctrinam, & stipendiarias ei lachrymas exoluo.

Exoluo, & num me dicet aliquis alienigenam?

genam? exterum? Ciuitatis huius Nouitium? non eo inficias; & idcircò muneri, quo destinor ineptum? hoc inficias eo: Et certe sit hic Abbatis nostri laudum cumulus iisque confertus coagitatusque: Etenim vbi minutula quædam ciuitatis introspicienda sunt, & abscondita, puta domibus inclusæ gazæ, arcis occlusæ margaritæ, vniones, lapilli; isthic tempus expectetur, istis visendis congeminentur dies, conduplicentur anni: Templis vero, Foris, Campis, Vijs, Columnis, Statuis, Theatris, Mausoleis inuisendis, par sit ratio ciuitatem diù incolentis, & heri illam introgressi. Abbatis profectò nostri virtutes corpulentæ, vt ita dicam, excelsæ, magnæ, mole insignes, quid mirum si obtutum meum, & si Nouitium, & peregrinum quàquà eum fixerim non effugiunt? Eloquar igitur Auditores, virtutesque narrabo illius. Eloquar, & si enim de amisso eloqui incrementum sit doloris, plerumque tamen est solatium dolentis, quòd is quem dolemus amissum, videatur nobis in sermone reuiuiscere. Eloquar, & si vobis visus fuero præterijsse multa, multa prætermisisse, vbi lachrymas caussatus fuero, subiungam, animo est factum satis meo, testes

 habeo

habeo doloris quotquot hic adeſtis; nec erit paſſus laudis diſpendium Abbas, nactus erit compedium. Vnus ego defeci laudator, multi ſubingreſſi eſtis encomiaſtæ: tacui multa, adimpleſtis vos in quibus defeci, lucroſum lucrum, cùm pro vno multi, pro tantillo tanti, pro elingui eloquentes ſubſtituuntur.

Honoratus igitur Brognonicus, ſanguine illuſtris, ex inſtituto D. Benedicti monachus ſanctiſſimus, litterarum ſplendore decoratus, Abbaſque prudentiſſimus, nobis dilaudandus eſt.

Honoratus eſt qui laudatur, ſupparem eius dignitati laudem non habemus, cuius ne nomen quidem laude caret. pulchra laudatio, quæ non quæritatur anxiè, ſed tenetur ſecurè: vera laudatio quam vel ipſi fateantur inimici. communis laudatio cùm quis ab omnibus laudari poteſt, cuiuſque tot ſint præcones laudis, quot qui eum nominatim appellitant. Demoſthenem olim ab Athenienſibus aſcitum, vt inaugurationem Regis cui nomen Pyropo à gemma ignis inſtar explendeſcente, ſuo decoraret elogio, panegyrim ſic exorſum ferunt. Felix fauſtumque ſit Athenienſes. Pyropum regem ſalutaſtis, cuncta felicia, &

ex voto vobis succedent. quid hac gemma pretiosius, nobilius margarita? Pyropum Regem habetis? iucundum nomen, iucundum omen. Quàm felix Rhetor qui dilectum populo Regem, laudabat quidem ex ipso etiam nomine, sed indigitabat viuum. Ast ego! apage dolor, quid dicentem intercipis? Honoratum celebramus, nomen ipsum trophæũ est virtutis. honor virtutis assecla, virtuti honor ancillatur. honoratur Honoratus (date veniam abutar vocabulis) honoratur, & honorat. Tellurem istam, cęlum quà lumine quà influxu ditefacit; tellus influxus cęlo redonat exhalationum vaporumque velo contectos, rursumque cęlum, rursumq; tellus succedanea munera sibi inuicem collargiuntur. sic Honoratus honorantibus reddidit vicarios honores eosq; centuriatos, Patriæ, Parentibus, Relligioni.

2 Quòd si ex nomine tantus honos, quantus ex cognomine? Genus ipsius laudet alius; possem quidem & ego, cùm eius stemmata à maioribus longe ducta probè norim, adfinitates validissimas, multa domi forisque præclarè gesta in togata, & armata militia, consulatus in hoc patrio solo vigesies collatos. sed hæc

dilaudando viro seculari coaceruentur, Religioso, famuletur quidem eorum memoria, sed quadantenus quorumnam pro Deo sit contempta gloria patescat. Mihi sat fuerit dixisse, Brognonicum nostrum generis nobilitatem parem fecisse sybillinæ arbori, aurea quidem ferenti poma, sed quibus ad inferna descenditur; hoc est, si quis ea abutatur abiturus sit in spiritus contumaces, quando nomen nobilitatis audimus, insignia videmus, rem tamen desideramus. Brognonicum, natalium splendor non infatuauit: superbia, motum eius venustatem non deuenustauit: genitus in optimam spem succreuit gloriæ maiorum: reuixerunt in eo agnati sui: non exaruit in illo fęlix familiæ vena: non est passus maiores suos qui mortui erant, notiores esse se, qui viuus: tabulam generis non sordibus conspurcauit, sed figura condecorauit, & accedentibus generi quæ genus faciunt, nouatæ sunt in eo laudes natalium: summo loco natus, sanguinis dignitatem propria virtute cohonestauit.

Hoc vt faceret tutius, in confinio ipso pubertatis seculum reliquit: reliquit an potius ignorauit? Pöetas intuebatur pöematia sua principibus dicare viris, quorum tutela sufful-

ti,

ti,& ipſe, Opus Dei ſum ego, manuumque illius plaſma, Opus Dei, Deo dicetur. Vineæ fructus plantatori debentur, elargiar meipſum ei qui prior me mihi eſt elargitus. Contemplabatur mundum hunc inſtar eſſe Chirurgi primùm adblandientis,tùm ſanguinem elicientis. Hyenæ vocem mentientis humanam, & deuorantis. Syrenes ſoporem conciliantis, & interficientis. Circes veneficæ homines in belluas conuertentis. Meduſæ crudelis cuius inſpectu lapideſcunt homines. Ixionis rotæ in motu perpetuò perpetuæ. Et inſtar maris, vbi pluriora pericula, venti, fluctus, procellæ,ſcyllæ,charybdes, ſcopuli, ſyrtes,freta,euripi, remoræ, torpedines, ſyrenes, monſtra, piratæ, quàm in iſto quod terram alluit, Hæc contemplabatur, & adhuc mens eius motibus quatiebatur, quia diaboli tentationibus impetebatur: quas tunc minitabundus nectebat tricas, quas parabat inſidias! ſed eloquio contutatus diuino irridebat eas, & euadebat. Nunc audire mihi videor antagoniſtam in agone ſtrenuè decertantem. Famem antiquæ memor fraudis mihi ſuades? iam illi reſponſum, non in ſolo pane viuit homo. Opes proponis? ſed qui volunt diuites fieri in

la-

quęum incidunt & muscipulam. Fessa ieiunijs membra morbo grauáte concuties? Apostoli repercutieris eloquio, cùm infirmor tunc fortior sum. Minaberis mortem? audies, cupio dissolui, & esse cum Christo. Ignita iacula vibrabis? excipientur scuto fidei. Impugnabis Sathanas? tutabitur Christus. Laborauit prælians, ideo lætus laudauit victoriam. Vtque in tuto esset, in portu se collocauit, & ad sacrum D. Benedicti institutum Oliuetanæ familiæ confugit, in cuius album verè album efferri voluit. ô in tenella ætatula senectutem mentientem, Diaboli fraudes pertimescebat, & illi se Ordini mancipauit, cuius parens fraudulenti illius technas sexcenties delusit.

Crucior, discrucior, Auditores, nisi detur in huius candidissimi Ordinis laudes paululùm diuagari, sed hem audaciam! linguam cohibere cogor, donec in dicendo infantiam demittam. Efferat eas, sed cui Mithridatis memoria, ne antiquioribus gesta seculis prætерlabantur. Admiretur, sed cui oculi centum vt Argo, quibus tot paradisi candidatos valeat intueri. Extollat, sed cui tot aures quot Famæ, vt ipsos etiam lapides in eius laudem vocales audiat. Celebret, sed cui linguæ centum,

quan-

quantæ Babylonicæ turri, vt quàquà sol rotat eius diffundantur præconia. Scribat; sed qui centimanus Briareus, nec torpore languescens, nec languore torpescens. Sed quì talem reperire sit laudatorem? Magna laus, cùm deest copia laudantis, quia supereffluit materia laudis. silent linguæ? loquantur ergo manus (habent enim & hæ linguas suas, quæ & oculos quoque dicuntur habere). Noua laus, quando & si ipsæ Athenæ in dicendo languescerent, nō languent tamen operum ora; ipsa deficerent rostra, sed non deficiunt operum voces; ipsum obmutesceret forum, at non obmutescunt operum linguæ, loquaces semper semper vocales. Laudet te igitur Ordo sacratissime in portis opera nō aliorū certè, sed tua. Laudet te Sanctitas Angeli illius diuini qui te instituit. Miracula ineffabilia sanctorum tuorum. Sanguis effusus Martyrū tuorum. Monumenta Doctorum tuorum. Pęnitentia Anachoretarum tuorum. Puritas Sanctimonialium tuarum. Suauitas amoris quo cæteri Ordines te veneramur vt parentem. Barbaries nationum per tuos Doctores mansuefactæ. Regna & Prouinciæ infidelium per tuos alumnos iugo fidei subacta. Tortuosus ille serpens tuorum pede toties protritus. Regiæ Chlamy-

des,& Imperiales purpuræ cum vili tuo, sed sacro habitu commutatæ. Ecclesiæ tuis filijs desponsatę. Tremendum Petri solium tuis commendatum. Ipsa cęlestis Ierusalem per tuos reparata. Laudent te in portis opera tua.

Huic militiæ nomen dedit Honoratus? iam prædico Vates, Vaticinium audite. Non eneruia, non effracta, non imbecilla; sed strenua, sed grandia, sed fortia ab illo fas est expectare, iamq; videre mihi videor illum aduersus Diaboli tyrannidem, prouocationis immittentem chirothecam. Herculem tradunt cùm in lucem istam vitalem è materni ventris carcere prolaberetur, clypeum habuisse cunarum vice; quo etiam modo Lacęnas mulieres in suis puerperijs pro sellis clypeis vsas lego. At, si seculo nuntiũ mittentes rursùm Deo nascuntur, dic sodes, quę nam illorum matres, nisi spirituales præfecti, qui eos parturiunt donec Christus in eis efformetur? Tùm ego: iste sacer Ordo seueriusculè tyrocinij tempore suos educat fętus. Viuere alieno nutu. Domitare ingenium disciplinæ flagro. Retrahere corà diuitijs. Comprimere refractarios spiritus. Exultantem animum continere intra terminos modestiæ. Opere duro durare membra. Vigilijs, abstinentia, labore, soli-

ſolitudine,flagellis,quaſi agmine facto in carnis titillationes aſſurgere; papæ; quid eſt hoc niſi clypeis cadentes è matrum gremio paruulos excipere? Talibus ergo hic excipiuntur cunis? talibus. Huiuſcemodi alliciuntur blanditijs? huiuſcemodi. Infantuli? infantuli: ah quid mirum ſi adoleſcentiores iam & viri, animo ſint infracto,pectore impauido imperterriti aduerſus quæcumque ignea tela nequiſſimi, & noui Hercules Lernæam hanc hydram aggrediantur, vulnerent, confodiant?

Talem Honoratum monſtrabo vbi pauca prius de eius ſcientia delibauero. Et verò, Auditores, neminem veſtrum qui hic adeſtis latere arbitror, quantum vtilitatis animus noſter ex negocioſo litterarum ocio lucretur, cùm crebrò multa caligine effuſus,multa imbecillitate compeditus,multa ignauia torpeſcens, per ipſas erigit ſe ad ſuſpectum Dei, proprijſque ſtimulis excitatur ad cognitionem eius. Laborandum tamen eſt,ſudandum,algendum:laborauit,ſudauit,& alſit iſte puer,num fruſtra? fruſtra? ego certe ſentio ſi vnquam verum fuit Hippiæ dictum, poſſe vnum omnia ſcire, id in vno, Honorato fuiſſe verum, ſic non ad vnum tantùm, ſed ad omnia natum eius ingenium.

Columna erat aurea in Foro quondam Romano exposita Honoratus, vt ab illa omnes Italiæ deriuabantur viæ, sic ab isto omnia scientiarum, & artium dogmata. Quò progrediendum alicui in scientiarum acquisitionem itineranti? Ad dicendi præcepta? ab hac illi columna iter aggrediendum. Ad humanæ vitæ theatrum, quod est historia? Ab hac quoque. Ad harmonicum concentum? ab ista. Ad paris & imparis incrementa? & ab ista. Ad terrarum dimensiones? & hinc. Ad vestiganda naturæ arcana, elementorumque inter se fœdera? non aliunde. Honoratus omniscius dicebat, narrabat, canebat, numerabat, mensurabat, docebat, ostendebat. At quod caput est, vera illa sapientia, pingui animæ pabulo abundè abundè ditatus fuit; vera inquam, non inani, fluida, euanida, vmbratili, cauaque verba vel calamistrata buccis inflatis trutinante, quam ethnica philosophia tradit, sed solida, firma, perenni, quam Christiana Theosophia docet, habente quidem magnificas voces, sed animosas mox in rem transeuntes, quæque sic discitur, vt quæ fuerunt verba, sint opera. Itaque si Philosophi nescio cuius sepulcro, discipulo iubente, syrenes insculpta belluæ insidens, sugillante nimirum illo magistri

sapien-

ſapientiam, qua peſſimè vſus cùm homines belluas efficeret. Ego, ſi mihi datum, Honorati ſepulcralem lapidem, ſyrene inſculpendum iuberem; ſed homini inſidente, quippe cuius ſapientia belluas homines faciebat. Sexcenti ad eum acceſſere volutati in cęno libidinum, arietantes inter ſe arma, madidi ſanguine, omni deniq; vitiorum fæce fœdè conſpurcati, & tamen receſſere caſti, amantes, puri, multicoloribus virtutum violis nitentes, Macte virtute! macte ſapientia Honorate!

Et carmine rurſus ſuprà quàm dici poteſt delectabatur, delectabatur, & ad efficacius demittenda in aliorum animum præcepta vtebatur, vt enim & Cleanthi placuit, quemadmodum ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit cùm illum tuba per longi canalis anguſtias tractum patentiore nouiſſimè exitu effundit; ſic ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit: eadem negligentius audiuntur minuſque percutiunt quandiu ſoluta oratione dicuntur, vbi acceſſere numeri, & egregium ſenſum aſtrinxere pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. Talia eius carmina vt audacter ſim dicturus, poſſe in eius laudem celebre illud Ciceronis elogium commutari, hoc

eſt,

est, Demosthenes tibi præripuit ne primus esses orator, tu illi ne solus: audacter dicam, Homerus tibi Honorate præripuit ne primus esses pöeta, Homero tu Honorate ne solus. Pangebat semper, carmine quasi sale solutam orationem condiens; faciliusque Ioui fulmen, Herculi clauam, quàm huic Homero versum (terna antiquorum adynata) auferre. Quando in lucem edebatur infantulus, & non ipse ceu nutrix næniа canebat? Quando demoriebatur quispiam, & non ipse vt præfica lamentabatur? Quando lasciuiebat alius, & non ipse carmine quasi Dorico cantu eum compescebat? Quando despondebatur Christo virguncula, & non ipse epithalamium canebat? Quando in album sanctarum ascribebatur Beata, & non ipse in suis fastis conscribebat? Quando triumphabat de teterrimo hoste Benedictus & non ipse canebat, Io Triumphe? Cecinit cecinit Abbas quattuör libris Benedicti de Sathana triumphos. Vbinam sunt? inquies: lucem adhuc non aspexerunt. Aspicient? quidni? totus id expectat Ordo. At auctor migrauit è viuis? Si commeauit certè aliquorsum abijt. Quonam? in Cœlum. Et ad Benedictum patrem? ad Benedictum. Num illi id operis ostendit? certe obsequens patri filius

lius,patris gesta patri obtulit. Et pater? filij laborem æqui bonique consuluit. Hoc tantùm? non solùm, quin, & manu carmina subscripsit sua. Iam rem teneo, Tali obfirmata signaculo nobis mortalibus tradentur legenda: de fide gestorum securi, toti in pöesim rapiemur eius suauitate allecti maiestate arrepti. O' cygneam vocem! cygneum cantum! nam oloribus similes esse pöetas, pöetarum princeps asseruit, vtriq; enim niuei, vtrique canori, vtrique chari Musis, vtrique grati Phœbo, vtrique gaudent limpidis amnibus; nisi id solum inter pöetam Honoratum, & cygnum sit discriminis, quòd olor albescit penna nigrescit pelle, niueus pluma, carne niger: at cygnus meus albus veste, carne nitidior; extrorsùm candidus, candidior introrsùm.

Intereà dum ab his remittendum esset, ne labefactatrix virtutum omniũ desidia in animũ irrueret suũ, Pictoriæ vacabat, hoc est de pöesi ad pöesim, vel de pictura, ad picturam transferebatur, nam pöesis loquens pictura, pictura silens pöesis. Antiquiore seculo cùm furentes Imperatores Iconoclastę in sacras imagines debaccharentur, pictitabant Catholici, etiam Religiosi, etiam Episcopi, nimirum vt exulantem veri-

veritatem adorandarum imaginum, cordibus exciperent suis imprimerent alienis: non hanc ob causam pingebat Honoratus; cur ergo? Reor vt absentiam optati Numinis diuini quocum, nisi carnis sarcina exoneratus copulari non poterat, solaretur. Sponsam vide absente sponso moræ impatientem hàc illàc circumcursantem, in obuios quosque occursantem, in imagines interim, illius memoriam renouantes, & desiderium absentiæ falso atque inani solatio leuantes, oculatissimum, sic iste in Diuinas. Miretur porrò aliquis autodidactum pictorem fuisse Honoratum, hoc est, à se ipso edoctum: ego verius illum appellabo pictorem Theodidactum, hoc est, à Deo edoctum; neminem hominum habuit præceptorem, Deum tamen habuit magistrum. Quis docuit psittacum chære? interrogabat ille, & audiebat, Magister artis venter, Quis docuit Honoratum pingere? Dea machinatrix Charitas, porrò Deus charitas est; Imprimendæ erant internæ imagines? imprimebat Amor? Exprimendæ externæ? exprimebat Amor. Commiscendi colores? commiscebat Amor: Regendum pennicillum? regebat Amor. Delineandæ lineæ? delineabat Amor. Distinguenda membra? distinguebat

Amor.

Amor. Amor proxima, longinqua, lumina, vmbras effingebat.

Tanti est charitate efferuescere diuina? tanti, & tamen quid sunt ista si ijs quæ animam Honorati cohonestarunt virtutibus comparentur? In quas Auditores, dum mentis oculum figo, rem esse video quam nulla eloquentia explicare queat, vt non tàm laudandus sit qui eas enumeret, quàm excusandus qui minimè; plura enim veniunt quàm quibus oratio vna sufficiat, ipsa sibi obstante rerum magnitudine, Eas litterarum æternitas loquetur, & posteritas vacillante fide obstupescet. Exangue os confectum ieiunijs: Suauitas in moribus: Vigilia in cura: Sermo silens: Silentium loquens: Titubatio in proprijs: Alacritas in alienis: Rigor in custodia disciplinæ: Districtio in corpore castigando: Inconcussa fiducia in Deum: Fulcire labantia: Secunda temperare: Aduersa comminuere: Alijs admiranda despicere: Peregrinorum susceptio: Pauperum defensio: Languentium visitatio: Manuum labor: Errantium reuocatio: Orationis iacula: Patientiæ constantia: Humilitatis profunditas: Diuitiarum despectus: Animarum zelus. Quis vnquam vacua ab eo recessit manu? si diues, consilium, si pauper,

auxilium reportabat. Infirmus erat aliquis corpore? portabat eum. Pusillus corde? confortabat eum. Piger & desidiosus? excitabat eum. Improuisus, & obliuiosus? commonebat eũ. ò in maximis & in minimis semper maximus! Deniq; basis illa virtutum, hæc est, in Deum resignatio, radiata illius mentẽ collustrauit. Nunc audire mihi videor Honoratum in Dei aures sic personantem. Age ò Deus præi, sequar: ducito, veniam: trahe, curram: qua tu vis persona personatus prodeam, egredior: quam libet vestem circumdato, superinduor: quam lubet figuram imprimito, mollesco: sessorem te habeo, ceruicem non erigo, lorum stringe, non recalcitro: percutis, acquiesco: dulcescis, gaudeo: languefacis, annuo: sanas, hilaresco: exaltas, exulto: deijcis, consentio: meum velle nolo, tuum nolle volo: non expecto hoc à te audire quod voluero, immò potius hoc velle, quod à te audiero. Flammescentis animi exardescentia verba sunt ista, quippecùm Amor in illum ignea tela certo esset iaculatus arcu, populabatur viscera illius. Verè mellifluus Doctor exclamare potuit O' iugum sancti Amoris, quàm dulciter capis, gloriosè laqueas, suauiter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis!

 Ad

Ad hanc amussim, cæteros D. Benedicti filios satagebat exæquare Honoratus, libello quem scripturiebat, cui titulus futurus, Monachus; mors immatura, libello abstulit lucem, at vobis Patres, quibus dicandus, ne apicem quidem monitorum: non est editus libellus, extat tamen opus: desunt atramento exarata præcepta, adsunt Honorati exempla, Honoratum recolite, librum habetis, cui legendo nauetur opera sedula: eius quippe sermo, euangelium: canticum, psalmi: deliciæ, continentia: vitaque documentum relligionis, norma claustri, virtutũ exemplar. Seneca moriens vxorem, & liberos alloquitur, Quod vnum iam, & pulcherrimum habeo, imaginem vitæ meæ vobis relinquo. Imaginem vitæ Honorati habetis, imaginem virtutis, hanc intueamini; imaginem inquam, non abeuntem, sed constantem, non euanescentem, sed se ipsam æternantem.

Sed, heu ineluctabilem mortis necessitatem! iactantur cuncta, perenni rerum in se remeantium orbe, in tanta tamen volutatione nihil cuiquam certum, nisi Mors: natura, quod commune fecit, æquale faciente, vt crudelitatem sortis, solaretur æqualitas. Quàm vere dictum, Nullum sine exitu iter! Cui nasci contigit,

mori restat. Nascimur, vt denascamur. Febris inuadit Honorati mei corpusculum, abstinentia, vigilijs, contemplatione tabefactum: sciens in manu Domini esse sortes hominum, iubet effundi coram illo preces assiduas; effunduntur, & omnes ad Magnum medicum, tamquam ad supremam opem confugimus: at febris exurens (iam ipsa doloris ingredior viscera) grassatur: passus est acerba languoris, amara infirmitatis, vitæ mortalis ærumnas. Iàm vicina illi mors prænunciatur; lætanter it obuiam nuncio, intrepidè horam illam decretoriam expectat, exultat in morte, insultat morti; corpus inquit meum, migraturus habitabam: dies iste quem velut extremum formidant alij, æterni natalis mihi erit: iter sum arrepturus, date viatori cibum: in arenam descensurus, oleum præbete quo vngar: cibatus est, vnctus est; quibus lachrymis? quo affectu in Deum? testor fidem, bini ex arctiori D. Francisci instituto affuere, adstare diutius morienti optabant, non opis ferendæ gratia, nec enim erat opus, aderant & sui, & ipsemet sibi sufficiens, sed tantùm (testati sunt ipsi) vt benè mori discerent. Totus in Cœlum, totus in cœlestia defixus. Intuitus aliquando summa macie confectas manus, ad ad-

stantem

ſtantem conuerſus, heus? inquit, collętare me-
cum, paruuleſco, ſpes datur intrandi cœlum,
quod niſi paruulis effectis minimè pateſcit.
Dicentique ſibi adueſperaſcente iam die, Cra-
ſtina, Pater, iterum me tibi ſiſtet, Ah, inquit, cur
ita iniurius in me, & morientem? Craſtina?
iſta, iſta, inquam nox illuminatio mea in deli-
cijs meis. Sic certè fuit: media nocte fit cla-
mor, ſponſus adeſt Angelorum ſtipatus myria-
de, dilectamque ſibi ſponſam Honorati ani-
mam, in cœleſtem thalamum introducit. Ho-
noratus obijt? heu! heu! Honoratum amiſi-
mus? erumpe gemitus, quid cunctaris? erum-
pite lachrymę iampridem cupientes, commea-
uit qui vobis meatum obſtruxerat: erumpite,
licet enim priuatum ſit funus, fletus tamen eſt
publicus, ſit ergo fletus diuturnus, qui vniuer-
ſorum eſt fletibus conſecratus. Immaturo tui
obitu Honorate dulciſſime, noſtræ fuiſti volu-
ptatis occaſus. Ideo ceſſare non poterunt la-
chrymæ, ſed ad omnem ſonum nominis tui
ſurrepent: ſine te eſſe non poſſumus, & ſine te
eſſe cogimur, ideo tui ſine lachrymis meminiſ-
ſe non poſſumus. Non dulces quærimus lachry-
mas, quibus animi ardor reſtinguatur, & quaſi
relaxatus euaporet affectus, fletus quærimus

non

non solum indices amoris, sed & illices doloris: ò Scythiæ si staret consuetudo populorum! quando demetente charissimos morte, vltrò eam superstites appetebant, vt coniunctus cineri cinis, vna contegerentur vrna, quorum fuerat vita dilectione coniunctissima; tecum certè totus commoreretur Oliuetanus Ordo, tecum tota consepeliretur Veronensis Ciuitas. Meum precipuè pectus ita Honorati mors lancinauit, vt auulsa doleam à me viscera mea. Dimidium animæ meæ perdidi: horrori est mihi vita; quia nolo dimidius viuere, & tamen mori metuo, ne totus ille moriatur quem amabam. Lachrymis vitam cupio claudere meam: sed ancipiti consilij lance demori nolo, ne perpetui gemitus solatio destituar. Vtinam vt cibo, potu, somno, sic daretur lachrymarum imbre vitam enutrire; Nestoreos ex his lachrymis pro Honorati mei morte fundendis, mihi promitterem annos.

Attamen Auditores, nullas habeant lachrymarum ferias, qui nullam putant mortuorum requiem: nobis quibus in melius natura mutatur, fletus omnes abstergantur. Honoratus iam ereptus huic turbæ, colluuioni, caligini, inductus in cęlestes sedes, perfruitur perenni illa luce, perspicuè sincera, liquidè serena; insertus est

fami-